Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1307
Quelle:
Copyright:

cis distinctus, et quondam *fratrum Carthusiensium iuxta pragam extra muros* sequentia continet: I. *Tractatum*, ut e calce adsumo, *de Anima*. Init: *Honorius papa dicit in mappa mundi: Miserum est res propter nos factas cottidie spectare* &c. *Honorium Augustodunensem* puta, et *Mappam* ejus *Imaginem Mundi*. Verba porro citata non *Honorii* sed *Christiani* sunt in Epistola *Imagini* praefixa ad *Honorium*, si quidem recte habet Editio T. XX. *Bibl. PP. Lugd.* p. 966. Sequuntur in Codice Sententiae *Avicennae*, *Themistii*, *Averrois* et *Boethii* de Anima, et mox totius Tractatus Οἰκονομια videlicet: *quot sint anime. quia tres. Vegetabilis in plantis. Sensibilis in brutis. Rationalis in hominibus. Et quot sint potencie et vires ac operaciones cuiuslibet anime. et que potencie sint apprehensiue deintus. et que deforis. Et que sint apprehensiue tantum. et que apprehensiue et motiue. et que sit cuiuslibet potencie ac virium eius operacio specialis. et in hoc consistit huius materie tota virtus.* Atque haec ab alio Tractatui praefixa fuisse, dubium non est. Ipse deinceps inscribitur minio: *Hic incipit tractatus de cognicione Anime et suarum potenciarum generalis*, et infit: *Quid sit anima seu diffinicio. Nota. Remigius sic diffinit eam. Anima est substantia incorporea regens corpus* &c. Plura dixi; puto enim nos hic tenere *Librum de Anima Honorii Augustod.* quem diserte adsignat *Trithemius de Scriptt. Eccl. n.* 357. et distinguit a *Dialogo ex opusculis Augustini*, sive, ut *Honorius* ipse L. IV. *de Luminarib. Eccl.* c. 17. adpellat, *Quibusdam de Anima et de Deo de Augustino excerptis sub Dialogo exaratis*, quamvis in his distinguendis lapsum fuisse *Trithemium*, adseruerit *Bern. Pezius* in *Dissert. Isag. in T. II. Thes. Anecd.* p. 10. motus, ut videtur, *Honorii* ipsius c. 17. *suprac.* silentio, quod nihil probat, ipso *Pezio* p. 5. testante, *Honorium* post edita *Luminaria Eccl.* plura scripsisse, quae proinde ibi in censum venire non poterant. Finit Liber: *Eodem modo anima in centro cordis existens viuificat totum corpus.* Subjecit Versiculos verisimiliter idem, qui praefatus est:

Hic Animam nosse, si vis, dabitur tibi posse.
Hac in Scriptura lege, sitque frequens tibi cura.
Partem post partem capias, sic percipis artem.
Est scelus immensum (proprium?) *non noscere sensum,*
Cum per eum vivas, corpusque tuum sit ei vas.

II. *fol.* 7. sequitur Tractatus ἀδεσποτος *de Purgatorio* in Rubricas divisus, quo agitur de Loco, generibus Hominum illuc descendentium, et Modis eos juvandi, insperfis multis Narratiunculis. Initium est: *Commemoracio omnium fidelium defunctorum semel in anno est*